

pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis contrarium. Quæ verba valde consideranda sunt, tum ut ab illis regulis nullo modo, directe vel indirecte, recedatur; tum etiam ut in hac materia, neque facile aliquid damnetur, quod illis regulis non fuerit contrarium, nec de fidē esse prædicetur quod in illis non fuerit contentum, nisi postea inveniatur definitum.

13. Sixtus III, hostis acerrimus Semipelagianorum extitit, et liber Pelagianismum consonus falso illi adscribitur. — Defuncto Celestino, Sixtus Pontifex in ejus locum successit, de quo, cum esset presbyter, rumor a Pelagianis sparsus est, quod suæ sectæ magnus patronus existeret. Verumtamen rumores illos falsos esse, ita dictis, et factis, seu scriptis ostendit, ut quominus in Sede Petri collocaretur, nihil ei obstiterint. Nam scriptis suis Pelagianos exagitavit, et gratiam Dei defendit, ut Augustinus, receptis ab eo litteris, his verbis ad eundem rescribit epist. 104: *Quid gratius legi vel audiri potest, quam gratiæ Dei tam pura defensio adversus inimicos ejus, ex ore ejus qui eorumdem inimicorum magni momenti patronus ante jactabatur.* Et in epist. 105 ad eundem de ipso refert, primum omnium (utique ex Romano clero) anathema contra Pelagium pronuntiasse, dicens: *Tristes eramus nimis, cum fama jactaret inimicis gratiæ Christi te favere. Sed ut hæc tristitia de cordibus nostris tergeretur, primo te priorem anathema eis in populo frequentissime pronuntiasse eadem fama non tacuit. Deinde, cum litteris Sedis Apostolicæ de illorum damnatione ad Africam missis, tuæ quoque litteræ consecutæ sunt, quæ, tametsi breves erant, tuum tamen vigorem adversus eorum errorem satis indicabant.* Constat igitur, ante assumptionem ad Pontificatum, Sixtum pro gratia Dei pugnasse, et contrarium errorem damnassee. Unde ita colligit Prosper contra Coll., cap. 44: *Confidimus Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, et Celestino, operetur et in Sixto, et in custodia gregis Domini hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos (Pelagianos),*

ita depellat occultos, id est, eorum reliquias. Et adjungit: *Illo auribus suis doctissimi senis (id est Augustini) insonante sermone, quo collaborantem suum hortatus est, dicens: Sunt quidam justissime damnati, etc.* Et ita effectus probavit, nam hic etiam Pontifex, quamdiu vixit, Pelagianos ita repressit, ut Juliano, jactatissimo pelagiani erroris assertori, spem correctionis preferenti, nullum aditum patere permiserit, ut refert Prosper in Chron.: *Et ita (inquit) catholicos omnes dejectione fallacis bestie gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim apostolicis gladius detruncasset.* Neque a Sixto jam Pontifice plura contra hanc hæresim facta, vel scripta esse invenimus aut legimus. Imo graviter et docte admonet Hieronymus, epist. ad Ctesiphont., cavendam esse imposturam Ruffini, qui librum Sixti Pithagorei, in qua multa Pelagio consona inveniuntur, Sixti Pontificis Romani nomine prænotavit, *ut qui philosophi esse nesciunt (inquit) bibant, sub martyris nomine, de calice Babylonis.* Quæ inscriptio decipere potuit Augustinum, ut aliqua verba ejus libri Sixti Pontificis aliquando esse credidisset, non tamen potuit illum in errorem inducere, sed verba ipsa pie interpretatus est lib. de Natura et Grat., cap. 64. Postea vero, forte admonitus scriptis Hieronymi, errorem in persona recognoscit, lib. 2 Retract., cap. 42. Notat etiam Baron., tomo 5, in ultimis fere verbis, tres fuisse libros hac fraude attributos Pontifici, scilicet, de Divitiis, de Operibus fidei, et de Castitate, quos ipse ibi probat pelagiana hæresi esse infectos, et neque a Gennadio, neque ab aliquo antiquo scriptore, Sixto esse attributos.

14. Leo pelagianam hæresim vicit. — Tandem, in Apostolica Sede post Sixtum sedit Leo Magnus, cujus tempore, et diligentia, pelagiana hæresis pene extincta fuit. Nam Leonem contrivisse Pelagianos testatur Prosper in Dimid. temp., cap. 6, ipsumque Prosperum multum in eo negotio illi inservisse affirmat Photius in Bibliotheca, et videtur ipsemet Prosper in citato loco indicare, cum dicit: *In Italia quoque nobis apud Campaniam constitutis, dum venerabilis, et Apostolico honore nominandus, Leo Papa Manichæos subverteret, et contereret Pelagianos, et maxime Julianum, etc.* Cum enim Prosper esset natione Aquitanus, et fuerit etiam Episcopus Rhegiensis, verisimile est, non alia occasione versatum eo tempore in Italia, et specialiter in Campania, ubi Julianus fuerat Episcopus, nisi quia ad hoc ministerium fuit a Leone vocatus, ut Juliano et sectatori-

bus ejus resisteret. Imo diutius Prosperum cum Leone commoratum, illique in fidei negotiis expendendis inservisse, ex Gennadio de viris illustribus sumimus, et ex Trithemio, qui de Prospero ait: *Hic B. Leonis Papæ magnus quondam notarius fuit, et multas in ejus persona epistolas dictavit.*

15. Leonis scripta quibus doctrinam de gratia defendit. — Quid autem Leo contra Pelagianos fecerit, vel pro gratia Dei scripserit, non invenimus, præter epistolam ejus 74, alias 76, et alias 89, in tomo primo Epistolarum Pontif. ad Nicetam, Aquileien. Episcopum, aliam ad Metropolitanum Venetiæ, ut idem Leo refert in epistola sequenti in eodem tom. 3, et est 83 in tom. 2 Conciliorum, et in aliis operibus 85, et est quædam summa et confirmatio præcedentis. Ibi ergo graviter reprehendit Leo quosdam Episcopos, qui conversos a Pelagiana et Cælestiana hæresi, sine expressa retractione et detestatione erroris sui, ad communionem admittebant. Præcepitque ut nulli in posterum recipiantur, nisi prius *dament apertis professionibus sui erroris auctores, et quicquid in doctrina eorum universalis Ecclesie exhorruit, detestentur, omniaque decreta synodalia, quæ ad decisionem hujus hæreseos Apostolicæ sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, apertis, ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur.* Quibus paucis verbis, totam doctrinam de Gratia prædecessorum suorum Leo suam fecit, et itidem præcipua eorum dogmata, et fundamenta sub brevi compendio prosequitur. Insinuatque non ita fuisse extinctum Pelagii errorem, quin multi latenter illi adhærent, saltem quoad illud principium, quod gratia ex meritis nostris datur, et quoad Semipelagianos, contra quos etiam scripsisse creditur quosdam ecclesiasticas definitiones, ut jam explicabimus.

16. Opinio existimans Concilium Arausicanum secundum a Leone congregatum. — Multorum enim opinio fuit, opera Leonis congregatum fuisse, ipso vivente, Concilium secundum Arausicanum, ad reliquias Pelagianorum evertendas. Ita habetur in præfat. ad libros de Prædestin. Sanctorum Augustini, ante epistolas Prosperi et Hilarii, in editione Antuerpiana anni 1576, ubi prius refertur sinistra interpretatio Semipelagianorum ad epistolam Cælestini, et quomodo, illa non obstante, libros illos de Prædest. Sanctorum insectarentur, et additur: *Quo comperto, Leo Pontifex, qui tertius a Cælestino, Sixto in Pontificatu successerat, in Arausiana civita-*

te Concilium celebrari jussit, quod est ejus nominis secundum, in quo renovata, et iterato confirmata est catholica et apostolica eademque Augustini de gratia et libero arbitrio doctrina, canonibus ipsis ex B. Augustini libris passim decerptis. Idem sentit Auctor epistolæ ad Lectorem, præfixæ operibus Prosperi Duaci, editis anno 1577, ubi notat Prosperum non interfuisse, nec subscripsisse in Synodo Arausiana, licet in Vasensi et Carpenteracensi (inter quas fuit Arausiana) subscripsisse reperitur, causam vero esse conjectat: *Quod capitula, ad Synodum Arausianam a Leone transmissa, ejusdem Leonis jussu Prosper conceperat, sicut etiam Gennadius scribens de eo ait.* Hæc ibi, et in fine adjungitur operibus Prosperi dicta Synodus, et dicitur: *Circa tempora Leonis Papæ, etc.* Et idem habetur in fine septimi tomi divi Augustini, et secundo tomo Conciliorum, in collectione Surii; et omnes significant, fuisse hoc Concilium secundum Arausicanum celebratum paulo post primum, circa annum Domini 444, vel 443, ut vult Onuphrius.

17. Opinio Baronii haud certa. — Nihilominus, Baronius ann. 463 constituit illam synodum, non sub Leone, sed sub Hilario, illius successore, anno ejus 3, ea præsertim conjectura motus, quod illi synodo præfuit, et primus subscripsit Cæsarius, Arelatensis Episcopus, cum tamen in priori synodo Arausiana primus subscripserit Hilarius, Arelatensis Episcopus, et postea per aliquot annos vixerit, et habuerit duos successores, Ravennium et Eonium, ante Cæsarium. Sed hæc conjectura est satis incerta, quia, ea non obstante, invenitur idem Cæsarius subscripsisse in Synodo Arelatensi 3, quæ etiam tempore Leonis celebrata est, et non desunt qui Eonium Arelatensem post Cæsarium constituent, cum inveniantur epistolæ Gelasii Papæ ad ipsum scriptæ. Quod si dicatur in his mendum aliquod irrepsisse, ut Baronius interdum ait, idem profecto dici poterit in altera subscriptione Cæsarii, vel certe hoc satis est ut conjectura sit incerta. Eo vel maxime quod Leo Papa per decem vel undecim annos supervixit Hilario Arelatensi, unde, licet illi duo Episcopi ante Cæsarium successerint, fieri potuit ut Cæsarius fuerit Episcopus Arelatensis, vivente Leone, nam de Ravennio et Eonio non constat quantum vixerint. Atque ita licet daremus, conjecturam probare non fuisse Arausicanum Concilium circa initium Pontificatus Leonis, ut alii volebant, potuit esse circa finem.

18. *Baronius opinionem variat.* — At vero idem Baronius, in Appendice ad Annales Eccles. (habetur in fine tomi 10), non solum communem opinionem, sed etiam priorem suam retractat, docetque Arausicanam synodum secundam celebratam esse sub Felice IV, et anno Pontificatus ejus 4, qui fuit 529 Domini. Unde censet communem opinionem errasse anteposendo Concilium illud 86 annis, ipsum vero errasse 66 annis. Moveturque tum eodem argumento de Cæsario, quem illo postremo tempore, non priori, vixisse ibi sentit; tum etiam quia Liberius ille Galliæ præfectus, cujus fit mentio in illo Concilio, quia illius occasione coactum est, illique subscripsit, vixit et gubernavit Galliam tempore Athalarici regis, qui tempore Felicis IV regnavit. Sed, quia prolixum esset conjecturas omnes quæ hic cogitari possunt, expendere, nolimus de sententia hac definitum iudicium ferre. Solum dicimus, ut illa subsistere possit, oportere in Conciliis illorum temporum multa mutare, quæ cum illa stare non possunt. Oportebit enim dicere, etiam Concilium Arelatense III non esse factum sub Leone Papa, anno Domini 458, prout in tomo 2 Conciliorum significatur. Probatur, quia ibi subscripsit etiam Cæsarius, quem Baronius ait pervenisse usque ad annum Domini 554. Unde non potuit præsidere Concilio Arelatensi tempore Leonis, alias necesse est ut in episcopatu vixerit per centum annos, quod incredibile est: vel si id creditur, cur non potuit etiam præsidere Concilio Arausicano tempore Leonis? Idemque argumentum sumitur ex Concilio Carpentoracensi et Vasensi, quæ ante dictum Arelatense celebrata sunt, et in eis etiam Cæsarius præsedisse, et Prosper subscripsisse invenitur. At de Prospero etiam in Arausicano subscripsisse, affirmat Baronius (quod ego non invenio); dicit tamen non fuisse illum Prosperum Aquitanicum, qui tempore Leonis vixit, sed alium. At idem dicam de Cæsario et Liberio. In re igitur adeo incerta, satius videtur nihil in recepta Chronologia immutare, et præsertim quia tempore Felicis quarti nullam legimus de gratia fuisse controversiam, neque illo tempore semipelagianismum revixisse. Nimisque sero remedium fuisset adhibitum, si post tot annos canones illius Concilii editi vel promulgati fuissent. Eo vel maxime quod verisimillimum est a Prospero fuisse elaboratos, et ex Augustini sententiis ac verbis concinnatos, juxta modum scribendi Prosperi in hac materia.

19. *Synodus secunda Arausicana Leonis nixa pontificia auctoritate.* — Quapropter, quidquid de exacta ratione temporis sentiat, negari profecto non debet principalem auctorem canonum illius Concilii, et in cujus auctoritate potissimum fundantur, esse Leonem Papam. Nam Patres illius Concilii, in ejus initio, profitentur se nisi auctoritate Sedis Apostolicæ, his verbis: *Unde et nobis, secundum auctoritatem et admonitionem Sedis Apostolicæ, justum et rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolica Sede nobis transmissa, quæ ab antiquis Patribus de cæteris scripturarum voluminibus in hac præcipue causa collata sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, et manibus nostris subscribere debemus. Quibus lectis, qui huc usque non sicut oportebat, de gratia et libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat.* Ergo verisimilius est Leonem potius quam Felicem vel Hilarium fuisse illum Apostolicæ Sedis Antistitem, qui Episcopos Galliæ monuit, et ad eos canones dictos misit; tum quia de Leone legimus Pelagianos contrivisse, de Felice vero aut Hilario nihil contra eos egisse legimus, neque mirum, quia tempore etiam Leonis creduntur extincti; tum etiam quia, ex ipsis canonibus, liquet quamdam Augustini doctrinæ summam, et compendium, et sententias eisdem verbis augmentatas continere. Unde fit per se credibile Prosperum, insignem Augustini discipulum et sectatorem, jussu Romani Pontificis eos elaborasse ac conscripsisse. At Prosper non legitur in hujusmodi ministerio inservisse, nisi Leoni: ergo magna conjectura est Leonem fuisse illius causæ patronum et architectum.

20. *Non obstat, etiamsi Synodus usque ad Hilarium vocata non sit.* — Hoc ergo positum, parum refert quod promulgatio illorum canonum, facta ab Episcopis Gallis in Arausicano conventu, fuerit facta vivente Leone, vel ejus successore Hilario, vel postea sub Felice. Præsertim quia non videntur illi Episcopi ad illam promulgationem auctoritate apostolica vocati; imo neque ad id muneris ex primaria intentione coacti, sed ad alium finem, et per occasionem id etiam egisse, ut ipsi his verbis indicant: *Cum ad dedicationem Basilicæ, quam illustrissimus Præfectus et Patricius, filius noster Liberius, in Arausica civitate fidelissima devotione construxit, Deo propitiante, et ipso invitante convenissemus, et de rebus quæ*

ad ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisset oborta collatio, pervenit ad nos esse aliquos qui, de gratia et libero arbitrio minus caute, et non secundum fidei catholicæ regulam, sentire velint. Unde et nobis, etc., ut supra relatam est. Videtur ergo Leo Papa misisse canones illos ad Episcopos Galliæ, non autem eis præcepisse ut ad illorum promulgationem vel subscriptionem convenirent, sed ut unusquisque in sua diocesi eos servaret, et ut Semipelagianos iterum pullulare non permitterent. Ideoque fieri potuit ut, alia necessitate non cogente, de concilio ad illum finem congregando non tractaverint; occasione autem illius conventus oblata, ibique nova notitia repullulantis erroris comparata, ad illum iterum extirpandum, illo convenientissimo remedio usi fuerint, nam fortasse canones illi et eorum auctoritas ad omnium notitiam non pervenerant. Et ita, licet forte dilatio illa fuerit usque ad tempora Hilarii, aut forte major, non refert.

21. *Hilarius, Simplicius et Felix Pontifex post Leonem, in suis epistolis de gratia, ut superiores Pontifices sentiunt.* — Post Leonis tempora, per aliquot annos cessasse videntur in Ecclesia publici rumores pelagianæ hæresis, quamvis illius reliquæ per plures annos non omnino sopitæ et extinctæ fuisse videantur. Nam tempore Leonis, sine dubio jam vivebat Faustus in monasterio Lyrinensi, quia paulo post Leonem mortuus est Prosper, cui in Episcopatu successit Maximus, Abbas Lyrinensis monasterii, in cujus locum Faustus Abbas ejusdem monasterii factus est, et intra breves annos, mortuo Maximo, Faustus ad eundem Episcopatum Rhegiensem assumptus est, et in eo usque ad Felicem Papam et ultra vixit. Fuit autem Faustus, ut vidimus, semipelagianismi fautor et doctor, habuitque in Gallia plures secum consentientes, vel discipulos. Et nihilominus ab Hilario vel Simplicio, Leonis successoribus, nihil contra illum factum aut scriptum legimus. Et causa forte fuit, quia ita simulate ac latenter suum introducebat errorem, ut neque publice profiteretur doctrinam Augustini reprehendere, neque a multis deprehenderetur; unde fieri potuit ut ad aures dictorum Pontificum non pervenerit. De Felice autem Pontifice, qui Simplicio successit, refert Baronius rejecisse ac reprobasse scripta Fausti de gratia et libero arbitrio, et veram de gratia doctrinam confirmasse. Quia Cæsarius Arelatensis eodem tempore librum de Gratia scripsit, eumque ad Felicem Pontificem

misit, qui sua epistola illum probavit, teste Gennadio de Viris illustribus, c. 86. Conjectat autem Baronius librum illum Cæsarii fuisse contra Faustum scriptum, et inde concludit confirmationem libri Cæsarii fuisse reprobationem librorum Fausti, et totius semipelagianismi. Sed hæc minus certa sunt, quia nec librum Cæsarii habemus, nec epistolam Felicis, nec dictum Gennadii est satis firmum, ut infra cap. 21 iterum dicam. Et ideo de Hilario, Simplicio et Felice, post Leonem Pontificibus, nihil aliud certo affirmare possumus, nisi catholicam de gratia doctrinam, quam semper Ecclesia Romana docuit, professos fuisse, et juxta illam, sicut antiquiores Pontifices, in suis epistolis semper locutos fuisse.

22. *Gelasii gesta et scripta in gratiæ tutelam.* — Gelasius autem, variis modis, et Pelagianum, ac reliquias ejus iterato damnavit, et sanam doctrinam de gratia erudite docuit. Nam imprimis, in Decreto de libris authenticis, seu in cap. *Sancta Romana*, libros Ruffini, quia nimium favebat libero arbitrio, et libros Cassiani et Fausti, quia gratiam depri-mebant, inter apocryphos numerat. Et libros Hieronymi, Augustini et Prosperi approbat et honorifice commendat. Deinde, cum suo tempore non tantum semipelagianismus occulte serperet, sed etiam integer pelagianismus in provinciis Dalmatiæ et Piceni, a quodam imperitissimo homine Seneca vocato, denuo renovari et introduci cœpisset, hac occasione oblata, Gelasius vigilantissime obstitit ne malum cresceret, et contra ipsum errorem eruditissimas epistolas scripsit. Nam in epist. 3 ad Honorium, admonet illum sibi esse nuntiatum, *in regionibus Dalmatiarum quosdam recidiva Pelagianæ pestis zizania seminasse, etc.* Et de ipso errore statim subdit: *Estque error ipse nefarius, tanto perniciosior ad subrependum, quanto ad fallendum verisimilitudinis colore versutior;* et infra subjungit: *Ab Apostolica dudum Sede, per B. memorie Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Celestinum, Sixtum et Leonem, continuis et incessabilibus sententiis fuisse prostratum.* In epistola vero quinta ad Episcopos, per Picenum, refert, Senecam quemdam, rudem et impium hominem, in illa provincia eandem hæresim iterum induxisse, præsertim tres ejus errores, videlicet, infantes non concipi originali peccato, eosdemque sine baptismo decedentes non damnari, sed vitam æternam consequi, et hominem per liberum arbitrium, bono suffragante naturæ, beatum effici. Quos

errores ipse postea confutat, et illa duo præcipua hujus doctrinæ fundamenta, quod gratia non detur ex meritis, et quod præcedat libertatis bonum usum, sitque principium salutis ex illa, non ex nobis, late confirmat. Post illas etiam epistolas adjungitur, in eodem tomo epistolarum, tractatus quidam Gelasii, in cujus prima parte multa de gratia Christi erudite tradit, specialiter vero tractat quæstionem illam, an in hac vita contingat aliquem vivere sine peccato, aut sine peccati fomite, cujus sententiam suo loco referemus.

23. *Summus Pontifex Hormisda palam et libros Augustini ad Hilarium et Prosperum et gratiam defendit.* — Post Gelasium, doctrinam catholicam de gratia confirmavit Hormisda papa (nam de Anastasio II, de Symmacho, qui inter eos fuerunt, nihil invenimus). Hormisda vero, in epist. 67 ad Possessorem, occasione interrogationis ejus de libris Fausti, breviter definitiones priorum Pontificum amplectitur et confirmat: tum in eo quod Fausti libros inter apocryphos rejecit, quia eos in auctoritate Patrum examen catholice fidei non recepit; quod propter decretum Gelasii de libris Ecclesiasticis dixisse videtur: tum etiam in eo quod fixu dicit esse a Patribus, quæ fideles sequi debeant, instituta, a quibus qui exorbitat, errat. Quæ regula, cum in tota materia fidei certissima sit, in hac specialiter ab Hormisda commemorari videtur, propter illa quæ de gratia Pontifices definierunt; unde subjungit: *De arbitrio libero et gratia Dei, quod Romana, hoc est, catholica sequatur, et asseret Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, possit cognosci, tamen in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ si ibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus, quanquam qui Apostoli verba diligenter considerat, quid sequi debeat, evidenter cognoscit.* In quibus verbis illa notanda sunt, et maxime ad Hilarium et Prosperum. Agebat enim ibi Hormisda de doctrina necessaria ad cavendum semipelagianum errorem, qui in libris Fausti defenditur, quæ doctrina in illis libris Augustini maxime continetur; et ideo Hormisda de illis maxime locutus est. Simulque videtur illis verbis occurrere Semipelagianis. Illi enim libros Augustini de Prædestinatione et de Perseverantia nolebant includi sub generali laudatione librorum Augustini a Cœlestino scripta, quia illos non expresserat, ut supra retuli; Hormisda vero, ut tergiversationem eorum damnaret, dixit catholicam doc-

trinam de Gratia in illis libris Augustini maxime contineri; illos enim, et non alios, ad Hilarium et Prosperum Augustinus scripsit.

24. *Canones Leonis ab Hormisda referuntur, qui sunt secundi Concilii Arausicani.* — Deinde, adverte capitula illa in seriniis ecclesiasticis contenta, de quibus Hormisda loquitur, non videri esse alia nisi canones a Leone ad Episcopos Galliæ, qui in Concilio II Arausicano postea convenerunt, missos. Nam per se credibile est illos in scriniis ecclesiasticis conservatos esse, ac subinde de illis loqui Hormisdam, quia nullibi reperimus alia capitula de hac materia specialiter a Sede Apostolica edita, et ad alias Ecclesias missa. Nam, licet plures epistolæ decretales eandem doctrinam continentes a Pontificibus scriptas sciamus, et non paucas illarum habeamus, non tamen scimus, nec habemus alia capita quæ a Sede Apostolica emanaverint, et doctrinam de Gratia, præsertim contra Semipelagianos, contineant, præter canones illius Concilii Arausicani; et ideo, sine dubio, est vehemens conjectura de illis esse locutum. Nec de auctoritate hujus epistolæ dubitare jam licet, cum, ex veteri codice Vaticano, cum aliis editam habeamus, præter alia quæ in illius defensionem congerit Baronius, anno 250, n. 22 et sequentibus.

25. *Tranquillitas divinx gratiæ.* — Ex his ergo omnibus, satis constat quam constanter Romani Pontifices hæreticis male de gratia Dei sentientibus restiterunt, quamque manifeste et luculenter gratiam Dei prædicarunt. Post dictorum autem Pontificum tempora, usque ad Lutherum, non invenimus aliquid denuo ab Episcopis Romanis de gratia traditum, quia necessarium non fuit, cum Ecclesia in magna concordia, quantum ad catholicam de gratia doctrinam, generatim loquendo, fere toto illo tempore vixerit. Quod si interdum contrarius error reviviscere cœpit, statim per eandem Romanam Ecclesiam sopitus est, sicut in Oriente contigit tempore Gregorii. Nam, cum Joannes, Patriarcha Constantinopolitanus, pelagianam doctrinam inducere tentaret, statim Gregorius ejus errorem detexit, et expugnavit libro sexto, epistola tertia, et aliis, quæ capite vigesimo indicabimus. In Occidente vero, cum in Scotia eadem hæresis reviviscere inciperet, Severini et Joannis Pontificum tempore, statim recognita auctoritate Ecclesiæ Romanæ dissipata est, ut auctor est Beda, libr. 2 Histor. Anglic., c. 19, ubi, ex epistola Joannis IV ad Episcopos Sco-

tiæ, hæc refert notanda verba: *Cognovimus quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reviviscit, quod omnino hortamur ut a vestris mentibus hujusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet, quia non solum per istos ducentos annos abolita est, sed et quotidie a nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur, et hortamur ne quorum arma sepulta sunt, eorum apud vos cineres suscitentur.* Postea vero duo præcipua dogmata contra Pelagium confirmat, nimirum, dari peccatum originale, et necessariam esse gratiam ad vitanda peccata. Et ita finita omnino fuit antiqua contentio cum Pelagianis, et ideo sequentes Pontifices usque ad nostra fere tempora nihil de gratia scripserunt, nisi fortasse obiter, et per occasionem. Sic enim Leo IX, in epistol. ad Petrum Antiochenum suam fidem profitendo, inter alia dicit: *Deum prædestinasse solummodo bona, præcivisse autem bona, malaque. Gratiam Dei prævenire, et subsequi hominem, credo et profiteor, ita tamen ut liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem.*

26. *Iterum redit doctrina de gratia.* — Post exortos vero Lutheranos et Calvinistas, necessarium fuit supremo Ecclesiæ Pastori eis resistere, veramque de gratia doctrinam iterum tradere et amplius explicare. Quod imprimis fecit Leo X articulos Lutheri damnando, et postea Paulus III et Pius IV, Concilium Tridentinum cogendo et confirmando. Est autem advertendum priores Pontifices, quando occasione Pelagiani erroris de Gratia scripserunt, præcipue, et quasi ex instituto gratiæ necessitatem, et gratuitam ejus donationem tradidisse ac definivisse. Contra excessum vero eorum qui gratiam ita exaggerabant, ut liberum arbitrium tollerent, ex professo non definierunt, quia nec ea res tunc agebatur, nec necessaria erat, quoniam libertas arbitrii contra Manichæos satis erat a veteribus propugnata, et contra Priscillianistas a Leone Papa, epistol. 94, alias 93, et in tomo Pontif. Epistol., epistola quarta, capite undecimo, qui necessitatem operum, non ex gratia, sed ex sideribus ponebant. Pelagiani vero potius pro libertate pugnant. Quia vero negabant posse gratiam cum libero arbitrio conciliari, et ex libertatis assertionem gratiæ negationem inferebant, ideo iidem Pontifices allegati, præsertim Innocentius, Zosimus et Cœlestinus, docuerunt gratiam cum libertate posse, et debere conjungi. Nunc vero, quia non negationem

gratiæ, sed potius illius exaggerationem negatur liberum arbitrium, ideo a posterioribus Pontificibus, et præsertim a Concilio Tridentino ex instituto damnata est illa nimia et erronea gratiæ exaggeratio, et declarata ac definita concordia inter gratiam et liberum arbitrium, ut capite vigesimo dicam. Non defuerunt tamen in his temporibus qui (sine pertinacia hæretica) doctrinam ad utrumque errorem claudicantem introducere tentaverint, quibus novissime Apostolica Sedes per Pium V et Gregorium XIII se opposuit, quorum censuram hoc loco inserere, quia in sequentibus sæpius est usui futura, necessarium duximus, ut facilius, ab omnibus hujus nostri laboris studiosis, sciri et legi valeat ac intelligi.

CAPUT II.

DE CENSURA PII V ET GREGORII XIII ALIQUARUM ASSERTIONUM, PARTIM NATURE, PARTIM GRATIÆ NIMIUM TRIBUENTIUM, AUT DETRAHENTIUM.

1. Fuit nostris temporibus, in Lovaniensi academia, doctor quidam catholicus et eruditus, cujus nomen, cum Pontifices silentio præterierint, libenter tacerem, nisi jam ex aliorum libris et scriptis esset notissimum, scilicet, Michael Baius. Ille igitur, in aliquibus libris quos de charitate et rebus aliis scripsit, varios articulos, seu assertiones posuit, in quibus nunc ad pelagianismum, nunc ad lutheranismum, et calvinismum inclinavit. Cumque esset expectatæ probitatis et doctrinæ, ut in Bulla significatur, facile potuit auctoritate sua plures in suam sententiam ducere, et academiam illam catholicam et insignem corrumpere, aut perturbare. Cui malo ut occurrerent, dicti Pontifices hanc Bullam ediderunt, in qua et assertiones Baii referunt, et illas adhibita generali censura reprobant, et sub gravissimis penis prohibent, cui censuræ auctor, ut catholicus, paruit, et turbatio tota sublata est. Tenor autem Bullæ est qui sequitur:

BULLA PII V ET GREGORII XIII, IN QUA NONNULLE PROPOSITIONES, DE VIRIBUS NATURE ET GRATIÆ, DAMNANTUR.

2. *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Provisionis Nostræ debet provenire subsidio, ut ea quæ a prædecessoribus Nostris emanarunt, suadente maxime fidei catholice conservatione, ubicumque opus est, producantur: quare Nos tenorem*